

bi memoriam. Transeant jam victrices istæ coronæ, triumphales cur-  
 rus, statuæ Martiales aliaque tropæa, quibus tot tantisque triumphis  
 insignium Heroum nomina apud Romanos aliasque olim gentes æterni-  
 tati dicata sunt. Sola ἀπὸ θεῶν luculentum satis nobis argumentum  
 esse poterit, quantus Heroum Sagatorum honos fuerit apud veteres.  
 Ecquis enim ignorat, Mauros Jubam, Syros Seleucum, Arabes Dyfaren,  
 Macedones Philippum & Alexandrum, Romanos Romulum, alios-  
 que alios tanquam Deos coluisse? Quis ignorat Cecropi, Theseo,  
 Menestheo & Codro Athenienses; Hyacintho, Agamemnoni & Mene-  
 lao Spartanos; Epaminondæ Arcades; Neoptolemo Delphos; Miltia-  
 di Chersonitas; Achilli Leucenses a) Templâ & Aras exstruxisse? Et  
 quis demum ignorat, tot Equestres in Hispania, Gallia, Britannia, Dania,  
 Svecia, Malta aliisque Regnis Ordines illustria & æterna Heroum Saga-  
 torum nostri temporis esse testimonia? Ast neque Togatis Heroibus  
 sua monumenta deesse existimes. Etenim Homero Ptolemæus Phi-  
 lopathor templum exstruxit, Pythagoram Metapontini, facto ex ejus  
 domo templo, adorarunt, Aristoteli Stagiritæ diem festum instituerunt,  
 Æsculapio Pergameni statuam divinam sacrarunt, & Zamolxin, Geti-  
 cum suum Legislatorem, Thraces instar Numinis coluerunt. b) Imo si-  
 cut imagines in nummis, quorum beneficio omnis memoriæ Heroas &  
 Orbis Dominos superstites adhuc videmus, singularis omni ævo c) ho-  
 nos extitit: Ita post alios Eurypyli, Pythagoræ, &c. nummos, Vir in  
 re nummaria nulli secundus, Spanhemius d) Homeri in primis, parentis  
 illius ingeniorum, effigiem in rarissimo Smyrnæorum nummo ex Th.  
 Chiffletii cimeliario exhibet, cujus in altera parte ipsa Homeri effi-  
 gies cum inscr. ΟΜΗΡΟΣ, in altera vero laurea sistitur, inserta voce:  
 ΟΜΗΡΟΝΑΙΩΝ. Ast longius hæc persequi instituti ratione prohibemur.

§. II. Quod si vero tantus, ceu fas est, Heroibus habitus fuit &  
 adhuc habetur honos: sensu forsan, ni fallimur, abundaret, qui eun-  
 dem

- a) Just. Bosius in Corn. Nep. Liv. passim. Ill. Dn. a Lobenstein Armin.  
 T. 1. Lib. IV. p. 342. seqq. b) Justin. Lib. XX. v. 17. Svet. Claud. Cap.  
 XXV. Laëtant. L. IX. Ill. Dn. a Lobenst. l. c. p. 343. c) Ezechiel  
 Spanhemius de præst. & usu Numismat. Ed. Amsteld. 1671. Diss.  
 I. p. 35. d) loco laudato Diss. V. p. 487.